DIE XVI. MAJI.

IN FESTO S. UBALDI EPISCOPI & CONFESSORIS.

Semiduplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis, prater ea qua sequuntur.

Oratio.

AUxilium tuum nobis, Dómine quæsumus, placátus impénde: & intercessióne beáti Ubáldi Confessóris tui atque Pontíficis contra omnes diáboli nequítias déxteram super nos tuæ propitiatiónis exténde. Per Dóminum nostrum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno. Lectio iv.

UBáldus Eugúbii in Umbria nóbili génere natus, à primis annis pietáte & lítteris egrégiè est institútus; jamque adoléscens, ut uxórem dúceret, sæpè tentátus, numquam tamen à propósito servándæ virginitátis recéssit. Sacérdos effectus patrimónium suum paupéribus & Ecclésiis distríbuit: & Canonicórum Regulárium Ordinis sancti Augustíni institútum suscípiens, illud in pátriam tránstulit, atque in eo aliquámdiu sanctíssimè vixit. Cujus sanctitátis opinióne evulgáta, ab Honório secúndo summo Pontífice, Ecclésiæ Eugubínæ præficitur, & Episcopális consecratiónis múnere decorátur.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, & fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus enim.

Lectio v.

AD suam ítaque revértens Ecclésiam, cùm de consuéta vivéndi ratióne nihil ádmodum immutásset, in omni tamen virtútum génere eò magis eminére cœpit, quò efficáciùs aliórum étiam salútem verbo & exémplo procuráret, factus forma gregis ex ánimo. Nam victu parco, vestítu moderáto, léctulo áspero & paupérrimo, Crucis mortificatiónem júgiter in suo córpore circumferébat, dum inexplébili oratiónis stúdio spíritum quotídie recreáret. Hinc admirábilem illam mansuetúdinem est adéptus, qua gravíssimas injúrias & contumélias non

modò

modò æquanímiter tulit, verùm étiam mirífico dilectiónis afféctu persecutóres suos omni benignitátis testimónio complectebátur.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, & exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei.

℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi.

Biénnio ántequam ex hac vita migráret, cùm diútinis afflictarétur infirmitátibus, inter acerbíssimos córporis cruciátus, velut aurum in fornáce purgátum, Deo grátias indesinénter agébat. Adveniénte autem sacro Pentecóstes die, cùm multis annis Ecclésiam sibi commíssam summa cum laude gubernásset, sanctis opéribus ac miráculis clarus quiévit in pace. Quem Cœlestínus Papa tértius in Sanctórum númerum rétulit. Ejus virtus præcípuè in effugándis spirítibus immúndis elúcet. Corpus verò per tot sæcula incorrúptum magna fidélium veneratióne in pátria cólitur, quam non semel à præsénti discrímine liberávit.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, & omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cœléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorii Papæ in Euang. Homo péregrè proficíscens.. *ut in eodem Communi.*

AD enixas Episcopi civitatis Eugubii instantias, & civitatis prædictæ, ac P. Abbatis Congregationis Canonicorum Regularium Lateranensium Procuratoris Generalis humillimas preces, suprascriptas Lectiones cum Oratione proprias in Officio sancti Ubaldi Episcopi pro secundo Nocturno ab omnibus utriusque sexus, qui ad horas Canonicas tenentur, in posterum recitandas, ab Eminentissimo & Reverendissimo Domino Cardinale Colloredo diligenter revisas, atque relatas, sacrorum Rituum Congregatio approbavit, ac imprimi posse, benignè indulsit, atque concessit. Die 11. Februarii 1702.

G. Card. Carpineus.

Loco ✠ Sigilli.

B. Inghirami Sacr. Rit. Congr. Secr.